



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 1. Quid est Ignorantia, & quotuplex?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

docentes talem omissionem nil per se malitiæ imputabilis addere culpabili positioni causæ ejus, eò quòd tunc omisso non sit voluntaria, & libera nisi in causa; & voluntas tempore omissionis non continetur liberè, nec ullum exercitium liberum habeat, cum ne possit quidem ejus causam retractare.

Cæterùm necesse est omnes omnino omissiones actuales confiteri, & non tantùm causam earum culpabilem. Nam ex praxi perpetua fidelium, ex qua necessitas materiæ Confessionis potius, quàm ex principiis metaphysicis metienda est, constat, actiones, & omissiones in causa mortaliter culpabiles esse necessariò confitendas, sive illæ secundùm se peccata sint, sive solum effectus, & objecta peccati in causa liberè posita commissi. Præterea id etiam necessarium est, vel ad explicandam, sicut oportet, peccati gravitatem, vel ad detegendum damnum tertii, obligationem restituendi, &c. Vel ob periculum reservationis, aut censuræ.

## CAPUT IV.

### *De ignorantia, & ejus Peccatis.*

Q. 1. **Q**uid est Ignorantia, & quotu-  
plex?

*Resp.*

*Resp.* Ignorantia latè est carentia cognitionis veræ in subjecto capaci. Strictè ut hîc sumitur, est carentia cognitionis debita, seu cognitionis eorum, quæ quis scire debet. Nam qui ignorat ea, quæ scire non tenetur, non est in eo ignorantia strictè loquendo, sed mera nescientia.

Dividitur 1. in invincibilem, & vincibilem. Ignorantia invincibilis, quæ etiam inculpabilis, & probabilis vocatur, est ea, quæ sufficienti diligentia adhibitâ depelli non potest. Vincibilis est ea, quæ, sufficienti diligentia adhibitâ, depelli potest.

2. In antecedentem, concomitantem, & consequentem. Antecedens est ea, quæ nullo modo fuit volita, & est causa actionis, quatenus eâ sublatâ non fieret actio: ut cum venator adhibitâ sufficienti diligentia, ne hominem occideret, occidit amicum putans esse feram. Concomitans est ea, quæ non est volita, sed non est causa actionis, in quantum eâ sublatâ adhuc fieret actio, quæ proinde non fit ex ignorantia, sed præcisè cum ignorantia: talis est in eo qui, adhibitâ sufficienti diligentia ne hominem occideret, inimicum latentem occidit, quem æquè occidisset, si scivisset ibi latere. Consequens est ea, quæ volita est directè, vel indirectè: ut cum quis nescit talem diem esse festivum, quia aut expressè noluit, aut neglexit inquirere. Unde est semper vincibilis; & quan-

quandóque est causa actionis, quandóque non, quia eâ sublatâ quandóque adhuc fieret actio, quandóque non fieret.

3. In ignorantiam Juris, & facti. Prior est, qua ignoratur præceptum aliquod. Posterior est, qua ignoratur id, quod fit, esse juxta, vel contra præceptum, & potest esse de opere, vel aliqua ejus circumstantia: ut cum quis nescit esse diem veneris, quo comedit carnes.

4. In negativam, & positivam. Negativa est mera privatio debitæ cognitionis alicujus rei absque judicio erroneo de illa re, Positiva est error, seu judicium falsum de aliqua re.

5. In habitualem & actuaalem. Habituaalis est privatio cognitionis habitualis, & dicitur simpliciter ignorantia. Actuaalis est privatio debitæ cognitionis actualis, & melius dicitur inadvertentia, inconsideratio, vel oblivio.

Q. 2. *An ignorantia vincibilis est secundum se peccatum?*

Not. Ignorantia vincibilis, alia est affectata, seu directè volita, & est ea, quam quis directè, & expressè vult, ut liberiùs peccet, juxta illud Job 21. *recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus.* Alia non affectata, & est ea, quæ non est directè, & expressè volita, sed est solùm volita indi-